



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

8. Crispi innocentis mors morte compensatâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

lumniatorum, ſed toti montes ſi cecidiſſent, melius eis fuiſſet, quam eam pati calamitatem. Vnde videant, qui calumnijs alios evertunt, quæ eos maneat calamitas, ſi non in hac vita, ſaltem in futuro iudicio. Enimuerò videant, quantum ſit flagitium calumnia. Si enim Deus non punit vltra meritum, ſed citra, vt Theologi docent, & tamen tam ſeuere punit calumniantes, poteſt vtique ex pœnæ atrocitate intelligi ſcleris magnitudo.

Hæc, vt homines à calumnijs deterreat, ex ipſis pœnis à Deo inflictis agnita, in cauſa eſt, ne pœna ſemper in alteram vitam differatur, ſed in terris quoq; detegat calumniarum fabros. Narra- rat Eusebius, Narciffum Hieroſolymitanum Episcopum à tribus falſis teſtibus de infami crimine fuiſſe accuſatum, mox ipſos infamia maxima fuiſſe notatos. Primus accuſator iurauerat, vt ni verum eſſet hoc eius Præſulis crimen, Deus eum igne perditum iret: ſecundus morbum ſibi regium imprecabatur, ni vera accuſarentur: tertius, ſi falſum diceret, oculis voluit orbari. Falſum probrum, verum illico plexit ſupplicium. Nam primus in domo nocte incendio correpta, cum omni familia ſua flammis vtricibus conflagrauit. Alter non rex, morbo tamen regio à capite ad pedes correptus & abſumptus eſt. Quorum pœnâ percuſſus tertius reſipuit, ſed mulctam non enaſit. Videns enim præſentem Dei vindictam ad pœnitentiam ſeriam confugit. Scelus igitur confeſſus tantis lacrymis deſleuit, vt luminibus orbaretur. Redijt igitur & in hunc, quod molitus eſt alteri. Pro frœno nobis meritò ſunt iſta. *Tentamur his tentationibus quotidie. Domine, ait S. Auguſtinus, ſine ceſſatione tentamur. Quotidiana fornax noſtra eſt humana lingua. Imperas nobis & in hoc genere continentiam. Eſt qualiſcumq; in alijs generibus tentationum mihi facultas explorandi me, in hoc panè nulla eſt.* Aliquam tamen, velut digito intento, monſtrant pœnæ ſimilium peccatorum. Ideò enim vel punit, vel ſinit puniri calumnias cæleſtis vindex, vt doceat vitari.

Sufannam ſenes primùm procando, deinde calumniando oppugnarunt: viri fæminam, ſenes iuuenem, & victi ſunt. In contrarium & femina iuuenem aggreſſa eſt, atque malum, quod illi parauit, tulit, Crifpum Conſtantini Imp. ex Mineruina Filium Fauſta vxor Imperatoria deperiijt, atque amore impuro incenſa,

VII.

Euseb. lib. 6. hist. c. 7.

S. Auguſtin. lib. 10. Conf. c. 37.

VIII.

Eutropius lib. 6 hist. cap 7. Auguſtin. lib 2. Annal Boiorum.

sæpius de stupro interpellavit. Cùm omnia tentasset, illaque Puthipharis vxorem, ille Iosephum strenuè egisset, tam constans inrenuendo, quàm illa impudens in prehensando; mœcha spe sua frustrata; amoreque in odium verso, furiosa mulier priuignum suum ad maritum detulit, mentita, sibi vim inferre voluisse. Non nouit feminam, quisquis feminæ temerè credit. Constantinus itaque & ipse muliebris ingenij immemor, vxori fidem adhibuit, atque in filium suum, sola accusatione, nulla probatione reum, exarsit iracundiâ; neque ad defensionem admisit. Quare inauditum Polæ in Histria interemit innocentem. Vicisti, Fausta, triumphæ. jacet in sepulchro, qui noluit jacere in tuo thoro. sed non semper durat tuus triumphus. Aliquot annis latuit innocentia, & fuit triumphata: verùm tandem in lucem erupit, teque vicissim in triumphum duxit. Comperta enim falsissimæ accusationis causa, ac scelere vxoris deprehenso, Constantinus non minùs serio, quàm serò dolens de præcipitata sententia, filioque in præmium castitatis interfecto, Faustam docuit nequaquam fausta alite calumniæ struxisse. Nam eam in ardentibus balneis coniectam caloribus extinxit, quæ caloribus peccauit. Quare calumniosa Imperatrix lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in fontem, quam fecit, seu in quam priuignum præmisit, cuius innocentia calumniatricem post se traxit in ruinam.

Psal. 7. 16.

IX.

Caspar Bruschius in Chronolog. German pag. 27. Matth. Rader. p. 2. Bauar Sanctæ pag. 102. Thegan. de reb. gestis ab Ludonico Imp. p. 296. c. 2. ap. Bithæum.

Non omitam hic inferere, quod Caspar Bruschius in Chronologia monasteriorum Germaniæ, quin etiam Crusius, Frischlinus, Munsterus (quorum fidem tamen sublestatam facit, non sine causa Raderus noster) de sanctissimi nominis femina memoriæ prodidit. Hiltegardis ea est, Hildebrando Sueuorum Duce, & Regarda heroina domo Bauarâ, nara, coniuge Caroli Magni. Anno Christi 783. defuncta: quam antiquissimus author Theganus *beatissimam* nominat, Chronicon Mindense & Andecense prænomine & titulo *Sanctæ* honorant. Bruschius de ea ita loquitur: *Fundatrix sancta vocatur, non quòd canonizata sit à Romanis Pontificibus, sed quòd ab incunabulis Christi doctrinarum ac preceptuum studiosissima. summo semper studio aegros inuiserit, & verbo Dei consolata sit; quòd è partu laborantibus feminis Imperatrix etiam adfuerit; quòd omnibus pauperibus largissima elemosynarum distributione operis*